



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. Quoniam Abbas 14.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

jurisdictione, inquit, data est, ea quoque concessa videntur, sine quibus jurisdictione explicari non potest, l. 2. D. De jurisd. Quare citare poterit, c. 4. §. 1. sup. eod. item animadvertere in eos, qui jurisdictionem suam impediunt, cap. 1. sup. hoc tit. Sed hæc ita, dummodo delegati jurisdictionem non excedat: veluti si filius hæreditatem parentis habeat, adversarii verò excipiant, cum filium legitimum non esse, ac proinde ad hæreditatem non debere admitti, profectò delegatus, si laicus sit, de hac questione, an filius legitimus sit, cognoscere non poterit, etiam si hæreditatis questio absque illa decidi non possit, sed prius questio illa, quæ parentum matrimonium concernit, est ad Judicem Ecclesiasticum remittenda, per text. in c. Lator 5. inf. Qui filii sint legitimi, & c. pen. inf. De ordine cognit. Reliqua vide apud Bart. & Jas. ad d. l. 2.

2. Simile juris axioma esse, cum quid conceditur, ceteri omnia concessa, sine quibus illud consistere vel usui esse non potest, tradit Jas. in d. l. 2. num. 2. & multis hoc axioma comprobatur. Ad

majorem confirmationem insignis responsum Pomponii J.C. adferamus de servitute, his verbis: Refectionis gratiâ accedendi ad ea loca, quæ non servantur, facultas tributa est his, quibus servitus debetur: quæ tamen accedere eis sit necesse, nisi in servitute nominatim præsumptum sit, quæ accederetur. Et paucis interjectis: Si prope tuum fundum jus mihi est aquam rivum ducere, tacita hæc iura sequuntur: ut rescicere mihi rivum liceat; ut adire quàm proximè possim ad rescicendum cum ego, fabri que mei: item ut spatium relinquat mihi dominus fundi, quo dextrâ & sinistrâ ad rivum adeam, & quo terram, limum, lapidem, arenam, calcem iacere possim. textus est in l. Refectionis 12. D. Commun. prædior. Adde & text. in l. Veteres 4. D. De itinere actuque privato. Sic eleganter respondit Oldradus, cons. 11. in causa Hospitalis, cui à Sede Apostolica erant remissæ decimæ in usum suorum pauperum, ut non tantum pauperes eo privilegio contineantur, sed & inservientes eidem Hospitali, quia sine his pauperes curari non possunt. Pluribus exemplis hæc res illustrari posset, nisi esset alienum à materia propofita.

In Cap. Quoniam Abbas 14.

SUMMARI A.

1. Delegatio facta expresso nomine proprio est personalis.
2. Facta sub nomine appellativo transit ad successorem.
3. Quid si nomen proprium simul cum dignitate exprimitur.
4. Decretum Concilii Trid. hæc de re.

Species hujus Capituli hæc est. Causa à summo Pontifice commissa fuit duobus Abbatibus Leicestriæ & Vicestriæ, suppressis eorum propriis nominibus. Mortuo Abbate Vicestriæ, Abbas Leicestriæ diem certum ad agendum pariter dixit, successoremque Abbatis Vicestriæ, porrecto ipsi S. Pontificis mandato, in ejusdem causæ cognitionem adhibuit, sententiæque ab utroque lata & tandem confirmata fuit à Pontif. Ubi in primo est notandum, quod delegatio quandoque fit expresso proprio nomine, ut puta Petro, Paulo, vel simili, quandoque sub nomine appellativo, veluti Abbati, Episcopo, Decano, Præposito. Et priori quidem casu delegatio morte ipsius delegati expirat, neque ad eius hæredem, siue alium successorem transit, quia in delegatione ratio solius personæ habita est, quæ extinctâ consequenter etiam extinguatur delega-

rio, arg. c. Sigratio 5. De script. in 6. & l. Privilegia quadam 196. D. De reg. iuris, Panorm. hic num. 3. Decius ibid. num. 13. cum aliis ab eo citatis. Posteriori verò casu in successorem transit, per h. text. si quidem dignitas perpetua est; & proinde cum dignitatis respectu sit facta delegatio, meritò in successorem eius transfunditur. Hinc eleganter à Cajo J.C. responsum est de Principe, cui legatum est relictum, eo mortuo, antequam cederet dies legati, nihilominus successori eius deberi, l. Quod Principi 58. D. De leg. 2. licet in legato relicto Augusta diversum obtineat, nam eâ mortuâ deficit & legatum, l. Si Augusta 59. D. eod. Verum hoc ideo, quod Augusta nullam dignitatem propriam habeat, sed communicatam sibi à Principe; ut & reliquæ uxores dignitatem habentium, l. Famina 8. D. De Senatorib. & l. Mulieres 13. C. De dignitatib. lib. 10. Sed & posterior casus ita exaudiendus est, nisi aliter constet de mente delegantis: veluti si delegatio facta sit sub nomine quidem dignitatis, sed habitâ industriæ ratione, eruditionis, aut fidei ipsius personæ; nam & hoc casu delegatio in successorem non transit, ex ratione, c. fin. §. 1. vers. præterquam inf. eod.

Cæterum questionis est, si & proprium no-

men

simul cum dignitate exprimat, ut v.g. Conrado Episcopo Eistertensi, an ejus successor quoque continebitur. Et verius est non contineri, quia præsumitur personæ habitatio ratio, arg. *l. Si servus 37, D. De stipulat. servor.* Atque hanc sententiam asserit & communem defendit Decius *hic num. 45 cum seqq.* Nisi ut rectè tradunt Panorm. *hic num. 8. & idem Decius num. 48.* delegans sive committens non haberet ipsius delegati notitiam; quia tunc expressio nominis proprii nihil operaretur, sed inspiceretur solum dignitatis nomen, *sexi. in l. Qui habebat 28, D. De reb. dubiis.*

Sed nolim hæc fufius profèqui, propter Conc. Trid. *Sess. 25, c. 10, De reform.* quo omnes delegationes sunt personales, hoc est, ad successorem non transeunt. Nam statuit, ut in singulis Conciliis provincialibus & diocesanis quatuor aut etiam plures personæ, quæ qualitates habeant,

(juxta *c. Statutum De ref. lib. 6.* ut sunt in dignitate vel personatu constitutæ, & Canonici Cathedral. Ecclesiæ, quarum etiam meminimus ad *c. Si pro debilitate 2 supra hoc tit.*) designentur, quibus causæ ecclesiasticæ à Sede Apostolica, vel ejus Legato aut Nuntio committantur, & si aliquem ex illis mori contigerit, Ordinarius loci, una cum Consilio sui Capituli, alium in ejus locum usque ad futuram Provinciale vel diocesanam Synodum substituere debeat. Igitur absque ulla distinctione nulla delegatio in successorem ratione dignitatis transit. Non tamen ideo hoc cap. prorsus inutile est: quinimò adhuc necessarium eo casu, quo S. Pont. cum clausula, *non obstante Concilio Tridentino* delegatum in dignitate positum constituit, ut quotidie facit, nam tunc redimus ad opus Decretalium.

In Cap. Prudentiam 21.

SUMMARI A.

1. Plures delegati quomodo constituantur, & quid tunc juris.

Hæc Decretalis agit de pluribus delegatis ad eandem causam constitutis, quod quandoque simpliciter, quandoque certa forma fit. Si simpliciter, necesse est, ut simul o-

maes conveniant: alioquin si unus eorum rebus humanis exemptus, vel aliter absens fuerit, reliqui in eadem causa procedere non possunt, *c. Vno delegatorum 42, c. Causam matrimonii hoc tit. & l. Duo ex tribus 19, D. De re judic.* ubi textus hanc rationem adfert, quod omnes judicare iussi sint, scilicet conjunctim: at si disjunctum, vide quæ dixi in *c. Sciscitatus 13, sup. De rescriptis.*

In Cap. Super quæstionum 27.

SUMMARI A.

1. Delegatus S. Pont. quatenus totam causam vel partem subdelegare possit.
2. Et quid juris in ordinario delegante.

Dicimus ex hoc Capite delegatum summi Pontificis non tantum totam causam, sed vel principium, vel medium, vel finem uni vel pluribus subdelegare posse: hoc tamen discrimine observato, ut, si totam causam subdelegaverit, non ad se, sed ad delegantem suum, id est, Principem appelletur; si partem aliquam, tunc ad se, tamquam ad immediatè superiorem, *text. h. §. porro & in l. 1. §. fin. D. Quis à quo appell.* Ratio discriminis est, quia priori casu abdicavit à se iurisdictionem causæ totius, unde ad se tamquam Judicem provocari non potest: posteriori verò, cum adhuc Judex causæ perseveret, rectè ad eum

appellatur, *d. §. porro & c. Si delegatus 7. §. fin. eod. in 6.* His adversari videretur textus in *l. un. in fine C. Quis pro sua jurisd. & c.* ubi indistinctè constituitur, ad Principem, non ad delegatum ipsius appellari debere: item in *d. l. 1. §. 1.* Sed uterque textus est accipiendus iuxta distinctionem iam dictam, quando scilicet integra causa alteri subdelegatur. Unde idem erit in delegato ad universitatem causarum, sive qui ad plures causas simul constitutus est; ut, si is unam causam subdelegaverit, ab eo non provocetur ad subdelegatum, sed ad Principem, cum nihil iurisdictionis sibi in illa causa retinuerit, *d. l. 1. §. 1. Quis à quo appell.*

Sed an idem observandum sit in ordinario iudice, ut si is totam causam delegaverit, ipse non provocandus sit, an eius superior? Et putat Alei. in *Rubr. inf. de off. ordin. 8.* idem esse, quod in casu præcedenti, ob eandem rationem. Sed fallitur Alei. quia

E

at. quia